

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

BAPTISMO;

Quam

Εὐν Θεῶν,

Sub præfidio

REVERENDI ET CLARISSIMI VI-  
RI, DN. M. JOHANNIS PISCATORIS SA-  
crarum literarum in illustri Scholâ Nassovicâ-  
Herbornensi professoris & præceptoris  
sui summè honorandi,

*Ad publicam συζήτησιν propositam pro virili defender*

JOHANNES MERCATOR Mörseusis.

*Ad diem 15. Decembris.*



HERBORNÆ NASSOVIORUM

Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1604.

SPECTATISSIMO, CON-  
SULTISSIMOQUE VIRO DN.  
ARNOLDO STÜNING PRÆTORI IN-  
CLUTÆ REIPUBL. MÖRSENSIS DIGNISSIMO.

ITEM

PIO ET HONESTO VIRO DN. WILHELMO GE-  
VENICH civi Colonienfi prudentissimo.

NEC NON

ARNOLDO MERCATORI patri suo honorando.

ET

MICHAELI MERCATORI } fratribus suis germanis;  
WILHELMO MERCATORI }

*Has theses inscribit & strenua  
loco mittit*

RESPONDENS.

## DE BAPTISMO

### THESIS I.

**V**ocabulum Baptismus, Græcè ὁ βαπτισμὸς & τὸ βάπτισμα, significat in scripturâ merfionem, immerfionem, intinctionemve in aquam, nec non ablutionem: & ortum est à verbo βαπτίζω, quod est à βάπτω, id est mergo, seu immergo, & ex consequenti abluo.

#### II.

Hæc vox de variis ablutionibus usurpatur in sacris literis: ut videre est Marc. 7. ψ. 4. & Luc. 11. ψ. 38. Nos hoc in loco accipimus pro ceremonia novi Testamenti à Christo instituta.

#### III.

Baptismus igitur, hoc sensu voce acceptâ, est primum novi Testamenti Sacramentum institutum à Filio Dei *a*, quo is fidelibus aquâ, *b* in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti per ministrum Ecclesiæ baptizatis *c*, testatur peccatorum remissionem *d*, naturæ per Spiritum sanctum regenerationem, societatem cum ipso *e*, atq; ita jus vitæ æternæ: quoq; hi vicissim profitentur, se hæc beneficia fide accipere, & hunc Deum sanctè colere velle.

a. c. Matth. 28. v. 19. b. Joh. 1. v. 33. d. Act. 2. v. 38. e. Gal. 3. v. 27.

#### IV.

Dicitur Sacramentum; quia est divinæ erga nos gratiæ, in Christo testimonium, visibili signo constans.

#### V.

Dicitur Sacramentum novi Testamenti: quia Christo jam exhibito est institutus, idq; ad hoc ipsum testificandum.

#### VI.

Dicitur Sacramentū novi Testamenti primum, respectu

secundi, quod est Cæna Domini. Nam per Baptismum in Ecclesiam & societatem Christi recipimur & accensemur. Unde sequitur, neminem esse ad sacram cænam admittendum, nisi prius baptizatus sit: quemadmodum in veteri Testamento nemo ad Pascha comedendum admittebatur, nisi prius circumcisus esset. Exod. 12. v. 48.

VII.

Præterea institutum dicitur hoc Sacramentum à Filio Dei. Autorem seu causam efficientem Baptismi non dicimus Johannem, nõ Apostolos: sed ipsum Filium Dei. Matth. 28. v. 19.

VIII.

Non Johannem: quia is, tanquam præcurfor Christi, & ab eo missus, autoritate & mandato illius baptizavit. Malach. 3. v. 1. Joh. 1. v. 33.

IX.

Non Apostolos: quia illis à Christo traditus est Baptismus in Ecclesia observandus & continuandus. Matth. 28. v. 19.

X.

Sequitur in definitione, *Quo is fidelibus aqua baptizatis.* Materiam sive elementum in hoc Sacramento aquam tantum esse credimus, non alium liquorem; quia de hac solâ in sacrâ scripturâ extat mandatum *a*: & ea tantum à fidelibus illis Dei servis, primis Baptismi ministris, Johanne Baptista *b*, Christo ipso *c*, Apostolis *d*, Apostolicisq; viris *e*, in baptizando est adhibita.

*a* Joh. 1. v. 33. *b* Matth. 3. v. 6. *c* Joh. 3. v. 22. *d* Joh. 4. v. 2.  
*e* Act. 8. v. 38.

XI.

Cur autem Christus aquam ad hoc Sacramentum delegit: percipitur ex illius analogia quam habet ad rem significatam.

Nam

## XII.

Nam ut aqua abluit sordes corporis: ita sanguis Christi  
abluit sordes animæ, id est, peccata.

## XIII.

Item ut aqua rigat atque fœcundat terram: ita Spiritus san-  
ctus quasi rigat atque fœcundat corda credentium ad feren-  
dum fructus bonorum operum.

## XIV.

Quod ad immersionem hominis baptizandi attinet, pu-  
tamus, parum referre, utrùm baptizandus totus in aquam im-  
mergatur, vel solummodò perfundatur: quò utraq; illa actio  
abluendi vim habeat, quæ hîc potissimùm spectatur; ut patet  
ex dictis, Act. 22. v. 16. Baptizare & abluere peccata tua: & 1. Pet.  
3. v. 21. Cui nunc correspondens exemplar Baptismi, nos quo-  
que servat, non quo carnis sordes abjiciuntur, &c. Item 1. Cor.  
6. v. 11. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis,  
&c. Ephes. 5. v. 26. Postquam eam purgasset lavacro aquæ per  
verbum. Interim tamen fatemur, ceremoniam immersionis  
mysterio hujus Sacramenti accommodatiorem esse.

## XV.

Sequitur in definitione, *In nomen Patris, Filii & Spiritus  
sancti baptizatis.* Hîc finis baptismi universalis exprimitur: qui  
est ut baptizentur credentes in nomen Patris, Filii & Spiritus  
sancti: id est, in hunc finem ut testificentur, se credere in De-  
um Patrem, Filium & Spiritum sanctum, seq; hunc sanctè ex  
ipsius præscripto colere velle.

## XVI.

Hoc sensu istam phrasin accipiendam esse, intelligitur  
ex verbis Apostoli 1. Cor. 1. v. 12. 13. 14. & 15.

## XVII.

Porrò verbis illis additur, *Per ministrum Ecclesie.* Quia Ba-  
ptismus ministerii ecclesiastici pars est: quod solis viris man-  
datum est. Matth. 28. v. 19.

## XVIII.

Unde sequitur, mulieribus baptizare permissum non esse. Nam quum illis in Ecclesia docere permissum non sit, ad baptizandi munus minimè sunt admittendæ. 1. Cor. 14. v. 34. & 1. Tim. 2. v. 12.

## XIX.

Idem judicandum est de viris, qui ad ministerium Ecclesiæ vocati non sunt.

## XX.

Sequitur in definitione, *Testatur peccatorum remissionem.* Deinceps exponuntur fines Baptismi speciales: quorum primus hic est. Testatur autem filius Dei fidelibus remissionem peccatorum per baptismum, quatenus eam illis obsignat sub imagine purgationis seu ablutionis.

## XXI.

Quemadmodum enim aquâ purgantur atq; abluuntur sordes corporis: ita sanguine Christi in cruce effuso purgantur sordes animæ omnium illorum, qui sanguinem illum pro se effusum credunt. Act. 22. v. 16. Ephes. 5. v. 26. Joh. 1. v. 7.

## XXII.

Colligendum autem hinc non est, eam remissionem dari ex opere (ut loquuntur) operato, quasi in aqua delitescat sanctitas aut Spiritus sanctus, eâve externo contactu nos regeneret: sed per verbum & symbolum externum significatur nobis reconciliatio cum Deo per Christum facta: quam si fide apprehendimus, tum & justificamur & sanctificamur.

## XXIII.

Secundus finis in definitione sequitur, his verbis, *Natura per Spiritum sanctum regenerationem.*

## XXIV.

Hanc similiter per baptismum fidelibus testatur Christus sub imagine ablutionis. Nam quemadmodum aquâ abluuntur

4  
luuntur sordes corporis, ita Christus per Spiritum sanctum naturam nostram regenerando, illam à sordibus peccati inherens indies magis ac magis repurgat: quod significat Paulus Tit. 3. v. 6. item I. Cor. 6. v. 11.

XXV.

Tertius finis additur his verbis, *Et societatem cum ipso, atq; ita jus vite aeternae.*

XXVI.

Hunc finem significat Paulus I. Cor. 12. v. 13. ubi ait, Nos omnes per unum spiritum in unum corpus baptizatos esse; id est, in hunc finem, ut sciamus nos esse membra corporis mystici (nempe Ecclesiae) cujus caput est Christus: atq; ita societatem cum Christo habere. Item Gal. 3. v. 26. & 27. ubi ait, fideles, qui in Christum baptizati sunt, Christum induisse, quâ metaphorâ conjunctio fidelium cum Christo atq; societas significatur.

XXVII.

Additur postremò in definitione hæc clausula, *Quoq; hi vicissim profitentur, se hæc beneficia fide accipere, & hunc Deum sanctè colere velle.*

XXVIII.

Est enim Baptismus solennis fidei atq; religionis professio: ut percipitur ex his locis: Johan. 4. v. 1. ubi habetur, Christum fecisse discipulos baptizando. Act. 2. v. 41. ubi dicitur, eos qui sermonem Petri libenter acceperant, baptizatos esse: atq; sic addita esse Ecclesiae die illo capita quasi ter mille. Act. 8. v. 35. & seqq. ubi narratur de Eunucho Æthiopo, illum post auditam evangelizationem Philippi, petivisse ab illo baptizari, & editâ confessione fidei baptizatum esse.

XXIX.

Subjectum hujus Baptismi (hoc est, personæ quibus Baptismus jure debetur) sunt, omnes fideles.

Per fideles autem intelligimus doctrinam Evangelicam amplectentes ac profitentes: & cum his etiam infantes procreatos & natos ex fidelibus & baptizatis parentibus, sive utroque, sive altero tantum: quia tales infantes in federe Dei comprehenduntur, Gen. 17. v. 7. 1. Cor. 7. v. 14.

Sicut enim in veteri Testamento per circumcisionem æquè infantibus ac adultis ad semen Abrahami pertinentibus, obsignabatur justificatio & regeneratio: sic hæc eadem infantibus Christianorum per Baptismum obsignanda sunt. Ratio consequentiæ est: quia Baptismus in locum circumcisionis successit: ut colligitur ex verbis Apostoli Coloss. 2. v. 11. & 12.

EX NOMINE JOHANNIS MERCATORIS,  
ADOLESCENTIS INGENIO, PIETATE ET MORI-  
BUS ORNATISSIMI, AMICI SINGULARIS, DEDUCTUM ANA-  
GRAMMA à JOHANNÉ LEUNESCHLOS Sonbornensi Montano.

JOHANNES MERCATOR

I ARTE HOC NOMEN: ARS.

Evolutio.

<i>J</i> lle ter est felix Do	<i>M</i> inum qui novit, & illu
<i>O</i> fficium colit. Hinc f	<i>E</i> lix tu diceris erg
<i>H</i> aud adamas terræ t	<i>R</i> actus, sed sacra legunt
<i>A</i> bs te, dum pectus t	<i>C</i> elestibus artibus. orna
<i>N</i> omen enim cur	<i>A</i> e clarum doctaq, piagu
<i>N</i> ancisci faciunt	<i>T</i> , & præbent dulce levame
<i>E</i> uge I sic HOC ARTE	<i>O</i> catibi NOMEN: & hac ARS
<i>S</i> ic te culta fide	<i>R</i> ectum det sidere cal IS.

F I N I S.





the scale towards document

490

Image Engineering Scan Reference Chart T283 Serial No.

4  
ristus per Spiritum sanctum  
illam a sordibus peccati in-  
purgat: quod significat Pau-

bis, *Et societatem cum ipso, atq;*

ulus 1. Cor. 12.  $\psi$ . 13. ubi ait,  
n unum corpus baptizatos  
nus nos esse membra corpo-  
s caput est Christus: atq; ita  
Item Gal. 3.  $\psi$ . 26. & 27. ubi  
ati sunt, Christum induisse,  
um cum Christo atq; socie-

tionem hæc clausula, *Quoq; hi  
e accipere, & hunc Deum sancte*

fidei atq; religionis profes-  
n. 4.  $\psi$ . 1. ubi habetur, Chri-  
o. Act. 2.  $\psi$ . 41. ubi dicitur,  
acceperant, baptizatos esse:  
capita quasi ter mille. Act.  
ucho Æthiope, illum post  
pi, petivisse ab illo baptiza-  
atum esse.

oc est, personæ quibus Ba-  
ideles.